XI.

DEnique contractus precariæ, plerumque vallabatur adjectione POENÆ contra eum, qui temerare illum attentaret. *

* Plurimæ precariæ Trevirenses: vid. pag. 275. ubi: *Quisquis hanc precariam infringere voluerit, decem pondera auri persolvere cogatur.* Similes clausulæ pœnales supponuntur in *cap.* 2. ii h. t. Ex quibus etiam apparet, revocari non potuisse ad lubitum concedentis *precariam* instar *precarii.* Cap. 3. in fin. eod.

XII.

ATque hæc sunt, quæ tempore arctatus ex juribus & chartis de hoc argumento duxi congerenda. Si conatus successit, fontem corona mecum, Benevole Lector, ex quo hausi ideas istas; sin minùs, cogita, situlis pertusis ex fonte etiam optimo infeliciter hauriri aquam.

I. O. H. D.

COROLLARIA.

EX JURE NATURALI.

I.

SAlutem nostram per necem alterius innocentis expedire nefas est:

II. Hinc nequit detentus in carcere occidere custodes, ut evadat manus lictoris:

III. Nec telo impetitus ab hoste opponere puerum scuti loco.

IV. Nec jussus occidere innocentem sub pœnâ mortis, parere jussis.

V. Nec puella gravida procurare abortum, ne occidatur ipsa.

EX JURE CANONICO.

I.

MAtrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Cap. 11. de præsumpt.

II. *Hæc quamvis non intelligatur absque commixtione corporum.* Can. 18. XXVII. q, 2. Cap. 5. de bigam. non ordin.

III. *Sine praviâ tamen* desponsatione per verba de præsenti *non est matrimonium.* Cap. fin. de Sponsal.

IV. *Ad desponsationem prædictam* futuram *obligare quis se potest, si velit, pacto, seu* per verba de futuro.

V. *Sed hoc pactum* (*quod hodie simplicicer vocamus* sponsalia) *non est, id quod* l. 1. ff. de sponsal. *definitur* mentio & repromissio futurarum nuptiarum.

VI. *Sic quippe paciscentes actu erunt* conjuges, *per primam desponsationis fidem, licèt non essent* maritus & uxor. *Can. 6. XXVII. q. 2.*

VII. *Hâc viâ & conciliabo pugnantes Canones, & tria hæc retineo:* Sponsalia, matrimonium ratum, & matrimonium consummatum.

VIII *Utrumque est Sacramentum* quoad vim significandi. *Cap. 5. de bigam. cit.*

IX. *Sed* virtus hujus Sacramenti *in* solâ benedictione Sacerdotali *consistit* MELCHIOR CANUS locor. theol. lib. 8. cap. 5. TOURNELII Tom. 4. pag. 395.

EX JURE CIVILI.

I.

R*Ei communis* divisio *cùm sit* permutationis *quædam species,* l. 20. §. 3. ff. fam. ercisc. *& vicem* emptionis venditionis *obtineat,* l. 1. C. Communia utriusque, *meritò* l. 3. C. eod. *inter* judicia bonæ fidei *refertur.*

II. *In bonæ fidei judiciis* inæqualitas omnis *ad æqualitatem est reducenda, etiamsi læsio foret infra dimidium.*

III. *In iisdem fraus & dolus valori obstant* l. 7. ff. de dolo malo.

IV. *Hinc divisio per fraudem & dolum obtenta ab initio non valet.*

V. *Perperam verò facta sine judicio, quamvis bonâ fide terminata non instauretur* l. 9. C. eod. l. fin. ff fam. ercisc.; *in melius tamen reformatur, etiamsi major non sit læsus ultra dimidium.* l. 3. cit.

VI. *Hâc explicandi viâ electâ discedo à communi interpretum, qui legem 3tiam volunt esse extensionem* legis 2dæ C. de Resc. vendit.

VII. *Neque læso consulerem, ut agat ex istâ lege, sed ex* negotio ipso, *id est,* communi dividundo.

EX

EX JURE PUBLICO.

I. *Domini territoriales*, die Lands-Herren/ *erant in Imperio noti pridem ante pacem Westphalicam.*

II. *Erant autem hi soli Duces, Landgravii, Marchiones, Principes, & Comites antiqui.*

III. *Per P. W. verò* minores Status, *& immediata Nobilitas Imperii* instar Dominorum territorialium *habiti sunt, quatenùs terras* immediatas *possederunt.*

IV. *Anteà quippe æquè parùm, unius alteriúsve pagi Superioritas vocabatur* territorialis, *ac unius alteriúsve loci cura animarum, Diœcesana.*

V. *Territoriis* minoribus *sic intra fines territoriorum* magnorum, *seu provinciarum constitutis, non evanuit tamen vis brocardici:* Quæ sunt IN territorio, censentur etiam esse DE territorio Principis, donec contrarium probetur.

EX JURE FEUDALI.

I. *Forum feudale est privilegiatum usque adeò,*

II. *Ut, quamvis aliàs* ob continentiam causæ, *re litigiosâ in diversorum dominorum territoriis sitâ, immediatè adiri queat supremum Imperii tribunal;*

III. *Id tamen, ne fiat in* causis feudalibus, *meritò caverit Capitulatio* CAROLI VII. art. 21. § 1.

IV. *Neque prætextus* judicii universalis *melior sit, quàm* continentia causæ, *Ibid.*

V. *Cúmque eadem dispositio manserit in Capitulatione* FRANCISCI I., *frustrà* MOSERUS *anno 1742.* in not. ad hunc articulum *subjunxit,* das bereits hoher Orten der bedacht darauf genommen worden/ künfftig diese Stelle anderst fassen zumachen.

EX JURE CRIMINALI.

I. *In judicio criminali debent esse tres personæ: Accusator, Reus, Judex.*

II. *Reo petenti dandus est defensor, & quidem ex ipsis Scabinis, nisi eidem extraneus præplaceat.* Nem. Carol. *art. 87. §. 1.*

III. *Hinc approbari nequit praxis illa quorundam tribunalium, ubi* Judex, *vel Commissarius Inquisitionis, simul* accusatoris *&* defensoris *vices subire conatur.*

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimeters 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black